An. et vol. XXXII — 20 Martii 1940 — (Ser. II, v. VII) – Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Sacra Consistoria, p. 105 – Constitutiones Apostolicae, p. 109 – Litterae Apostolicae, p. 117.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Proscriptio librorum, p. 120 – *S. C. Consistorialis*: Decretum de Consistorio semipublico, p. 120 – *S. C. de Propaganda Fide*: Designationes, p. 121 – *S. C. Rituum*: I. Decretum introductionis causae S. D. Mariae a S. Corde Iesu, p. 122. II. Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. Ioachimae de Vedruna, vid. de Más, p. 124 – III. Decretum de *Tuto* pro beatificatione Ven. Philippinae Duchesne, p. 127. IV. Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. Mariae Crucifixae Di Rosa, p. 129.

Diarium Romanae Curiae: S. C. de Propaganda Fide: Nomine – S. C. dei Riti: Congregazioni varie – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 132-136.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XL

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXII, n. 4 - 20 Martii 1940)

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

I

CONSISTORIUM SECRETUM
(*7 Martii 1940*)

PAG.

I. Provisio Ecclesiarum 105
II. Confirmatio 107
III. Postulatio palliorum 107

II

CONSISTORIUM PUBLICUM 107

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *S. Ludovici de Maragnano* (Caxiensis in Maragnano). – Ab archidioecesis S. Ludovici de Maragnano territorio pars distrahitur, quae in novam erigitur dioecesim « Caxiensem in Maragnano » nuncupandam. – *22 Iulii 1939* 109

II. *S. Ludovici de Maragnano, S. Ioseph de Grajahù* (Pinerensis). – Archidioecesis S. Ludovici de Maragnano et praelatura « nullius » S. Ioseph de Grajahù dismembrantur et nova erigitur praelatura « nullius » Pinerensis. – *22 Iulii 1939* 112

III. *Syriae missio sui iuris.* (Constantinopolitana seu de Istanbul). – A missione « sui iuris » Syriae tota seiungitur regio, vulgo « Hatay », atque vicariatui apostolico Constantinopolitano seu de Istanbul adnectitur. – *5 Octobris 1939* 115

IV. *Aleppensis* (De Istanbul). – A vicariatu apostolico Aleppensi territoria urbium « Adana », « Mersina » ac « Tarso » separantur atque vicariatui apostolico de Istanbul adiunguntur. – *9 Decembris 1939* 116

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Hodiernos Namurcensis dioecesis.* – Titulo et honoribus Basilicae Minoris augetur templum abbatiale B. Mariae V. de Aurea Valle intra fines Namurcensis dioecesis. – *8 Decembris 1939* 117

II. *Comperium Nobis est.* – Sanctuarium B. Mariae V. Zapopanense intra fines dioecesis Guadalajarensis titulo Basilicae Minoris ornatur. – *10 Ianuarii 1940* 118

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. Proscriptio librorum. – *4 Martii 1940* 120

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Decretum. De Consistorio semipublico ad exquirenda suffragia pro canonizatione Beatarum: Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier et Gemmae Galgani, virginum. – *8 Martii 1940* . . 120

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Designationes pro appellatione 121

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Romana seu Corduben.* – Introductio causae beatificationis Servae Dei Mariae a Sacro Corde Iesu, Fundatricis Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu. – *22 Novembris 1939* 122

II. *Vicen seu Barcinonen.* – Decretum de « Tuto » pro beatificatione Venerabilis Servae Dei Ioachimae de Vedruna vid. de Mas, Fundatricis Instituti Carmelitarum a Caritate. – *25 Februarii 1940* 124

III. *Romana seu Sancti Ludovici.* – Decretum de « Tuto » pro beatificatione Venerabilis Servae Dei Philippinae Duchesne, e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu. – *25 Februarii 1940* . . 127

IV. *Brixien.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Venerabilis Servae Dei Mariae Crucifixae Di Rosa, Fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate. – *25 Februarii 1940* . . . 129

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Sacra Congregazione « de Propaganda Fide »: *Nomine* 132

II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 132

III. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 133

IV. Necrologio 136

An. et vol. XXXII 20 Martii 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

I

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria quinta, die VII mensis Martii a. MCMXL, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani fuit prius *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur.

I – PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. N. Pius Papa XII, post brevem allocutionem, *Metropolitanam Ecclesiam S. Iosephi in Costarica* proposuit eique praefecit Exc. P. D. Victorium Sanabria, hactenus episcopum Alajuelensem.

Dein Ssmus sacrorum Antistites per Apostolicas sub plumbo Litteras iam Ecclesiis datos renunciavit ut infra:

ARCHIEPISCOPOS

Chicagiensem, Samuelem Stritch, iam Archiepiscopum Milwaukiensem.

Milwaukiensem, Moisem Kiley, iam Episcopum Trentonensem.

Serenensem, Ioannem Subercaseaux Errazuriz, iam Episcopum Linarensem.

Tuamensem, Iosephum Walsh, iam Episcopum Coelenum.

Sucrensem, Danielem Rivero, iam Episcopum Sanctae Crucis de Sierra.

Laodicenum in Syria, Marium Giardini, iam Archiepiscopum Anconitanum, cum adnexo titulo Numanensi.

Damascenum, Iosephum Beltrami, Nuntium Apostolicum in republica « El Salvador » et in republica « Guatemala ».

EPISCOPOS

Muliensem, Stephanum Fiedler, iam Episcopum Sătmariensem et Magnovaradinensem Latinorum.

Wichitensem, Christianum Winkelmann, iam Episcopum Sitensem.

Birthensem, Sydneyum Metzger, Auxiliarem Excmi P. D. Rodulphi Gerken, Archiepiscopi Sanctae Fidei in America Septentrionali.

Boianensem-Campobassensem, Secundum Bologna.

Barcaeum, Emmanuelem Silveira d'Elboux, Auxiliarem Excmi P. D. Alberti Iosephi Gonçalves, Episcopi Rivi Nigri.

Chilawensem, Edmundum Peiris.

Attalensem in Pamphylia, Dominicum Lucam Capozi, Vicarium Apostolicum de Taiyüanfu.

Praenetiensem, Secundum Petronium Lacchio, Vicarium Apostolicum de Changaha.

Aveirensem, nuper restituta dioecesi, Ioannem Evangelistam de Lima Vidal, iam Archiepiscopum Oxyrynchitanum, servato titulo Archiepiscopi ad personam.

Tornacensem, Aloisium Delmotte.

Limoeirensem, Aurelianum de Mattos.

Laquedoniensem, Christophorum Dominicum Carullo.

Andriensem, Iosephum Di Donna.

Lysiadensem, Vincentium Borisevicius, Auxiliarem Excmi P. D. Iustini Staugaitis, Episcopi Telšensis.

Biltensem, Iosephum Corrigan.

Memphitanum, Ioachimum Di Leo, Auxiliarem Emi P. D. Aloisii S. R. E. Cardinalis Lavitrano, Archiepiscopi Panormitani.

Aniciensem, Franciscum Martin.

Tutelensem, Amabilem Chassaigne.

Aristianum, Iosephum Carević, iam Episcopum Ragusinum.

Bangalorensem, nuper erecta dioecesi, Mauritium Bernardum Despatures, iam Episcopum Mysuriensem.

Abbiritanum, Ioannem Baptistam Hou, Vicarium Apostolicum de Shihnan.

Hypaepenum, Raymundum Aloisium Lane, primum Vicarium Apostolicum Fushunensem.

ABBATEM NULLIUS

de Tokugen, Bonifacium Saver, Episcopum titularem Appiarensem.

II – CONFIRMATIO

Insuper Ssmus ratam habuit electionem factam ab Excmo P. D. Iosepho Emmanuele Thomas, Patriarcha Babylonensi Chaldaeorum : nimirum R. P. Abel Zaya, Congregationis Missionis, ad Ecclesiam metropolitanam Urmiensem Chaldaeorum et ad Ecclesiam cathedralem Salmasiensem Chaldaeorum.

III – POSTULATIO PALLIORUM

Deinde per Procuratorem postulatio Pallii facta est pro Ecclesiis Metropolitanis : *Chicagiensi, Milwaukiensi, Serenensi, Tuamensi, Sucrensi, S. Iosephi in Costariga* et pro Ecclesia episcopali *Aniciensi* (ex privilegio *ad personam*).

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Eadem feria V, post Consistorium secretum, in aula supra Porticum Basilicae Vaticanae fuit *Consistorium publicum* pro Canonizatione Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier, virginis monialis professae ex Ordine Dominae nostrae a caritate, fundatricis Instituti sororum a Bono Pastore, necnon Beatae Gemmae Galgani, virginis saecularis.

Praestita itaque de more a Revmis DD. Cardinalibus Summo Pontifici obedientia, Illmi Domini Augustus Milani et Aloisius Philippus Re, sacrae aulae consistorialis Advocati, relatis breviter vita et miraculis

respectivae Beatae Mariae a S. Euphrasia Pelletier et Beatae Gemmae Galgani, pro earum Canonizatione institerunt.

Tunc R. P. D. Antonius Bacci, Apostolicarum litterarum ad Principes Secretarius, stans a sinistro Pontificii Solii latere, cappa indutus, DD. Advocatis in genua provolutis, Sanctitatis Suae nomine, his verbis respondit:

« Novis hisce sanctitudinis gemmis fulgens Ecclesiae exornare diadema simulque nova virtutum exempla hominibus ad imitandum proponere, valde exoptat Augustus Pontifex, qui quidem ea etiam de causa avet postulationi votisque vestris concedere, ut Pontificatus Sui cursus harum duarum virginum consecratione decoretur, in Petrianae Basilicae maiestate sollemniter habenda.

« Nostis praeterea quantopere indigeat Ecclesia, indigeant in praesens populi omnes caelestibus Patronis. Etenim quo magis superbit saeculum, eo miserius undeunde increscere videmus spiritualem eius egestatem. Remissa vel restincta in multorum animis divina caritate, ac christiana debilitata fide, oriuntur proh dolor ac gliscunt passim cum immodicus sui ipsius amor, tum mutua odia, invidiae simultatesque. Ubi enim superna negleguntur, quae mortalium mentes nobilitant, et ad excelsa evehunt, nihil aliud restat, nisi terrena discupere acriter, eaque quovis modo ad se rapere ac vindicare. Itaque multis iam locis non in privatae solummodo, sed in publicae etiam vitae condicionibus, incertitudines trepidationesque, ingravescentes cotidie, incedunt omnia; atque ubi etiam homines inter se non digladiantur, anxitudo quaedam, quasi immane in universos iam ingruat discrimen, omnium animos praeoccupat dubiosque tenet.

« Quis igitur poterit tot exagitatis obumbratisque mentibus supernam impertire lucem serenamque tranquillitatem? Quis poterit dissociatam perturbatamque hominum familiam amico fraternoque foedere iterum componere, eidemque non saeva, quae destruunt, arma, sed candidae pacis, quae prosperitatis felicitatisque incrementa refovet, ornamenta donare? Deum unum id posse haud dubium est, a quo res, eventus ac vel libera ipsa pendet humana voluntas.

« Apud eum igitur novis quam primum uti posse deprecatricibus sanctitatis fulgore decoratis, beatis nempe virginibus Maria a S. Euphrasia Pelletier ac Gemma Galgani, id ut solacio omnibus erit, imprimisque Summo Pontifici, ita omnium spem alet augebitque fore ut benignissimus Deus, finem malorum, quibus premitur aetas, maturet, melioraque tandem aliquando tempora affulgere iubeat. – Nihilo secius Sanctitas Sua, quamvis rem properare vehementer cupiat, ut tamen est legitima-

rum Apostolicae Sedis consuetudinum custos religiosissimus, gravissimam hanc causam antea decernere non vult, quam in Consistorio Semipublico, quod IV die habebitur proximi mensis Aprilis Purpuratos Patres sacrorumque Antistites, qui ad suam cuiusque mentem hac super re aperiendam convenerint, sententiam de more rogaverit. Interea vero per me vos omnes admonet, quotquot adestis, ut Spiritus Sancti lumen, vestris adhibitis precibus, menti suae pientissime concilietis».

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

S. LUDOVICI DE MARAGNANO (CAXIENSIS IN MARAGNANO)

AB ARCHIDIOECESIS S. LUDOVICI DE MARAGNANO TERRITORIO PARS DISTRAHITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM «CAXIENSEM IN MARAGNANO» NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua dioecesis nimia territorii amplitudine pateat et incolarum frequentia ita redundet, ut ab uno vel vigilantissimo Pastore vix regi queat, Romanus Pontifex, cui omnium catholici orbis Ecclesiarum sollicitudo incumbit, ad christifidelium regimini aptius consulendum, partem ab illa seiungendam curat, qua nova possit exinde erigi dioecesis, alteri concredenda Pastori. Quae quidem prae oculis habentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consulto, ac praehabito venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania et Nuntii Apostolici apud Brasilianam Rempublicam, favorabili voto, libentissime annuendum censuimus venerabilis Fratris Caroli Carmeli de Vasconcellos Mottas, S. Ludovici de Maragnano Archiepiscopi, precibus, quibus ab hac Apostolica Sede expostulavit, ut amplissimi suae archidioecesis territorii pars separetur et nova inibi dioecesis constituatur. Nos igitur, ex certa scientia, omnibus mature perpensis ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab

Archidioecesis S. Ludovici de Maragnano territorio partem illam distrahimus, quae Municipia comprehendit *Caxias, Mattões, San Francisco, Passagem Franca, Picos, Pastos Bons, Mirador, Loreto, Riachão, Victoria do Alto Parnahiba, Flores, Burity Bravo, Barão de Grajahù, Patos, Nova York, Balsas, Benedicto Leite*; atque territorium ita avulsum in novam dioecesim erigimus et constituimus, quam ab urbe *Caxias*, in Statu *Maranhao* sita, *Caxiensem in Maragnano* nuncupari volumus ac decernimus. Eius fines hi erunt: ad septemtrionem archidioecesis S. Ludovici de Maragnano; ad occidentem S. Iosephi de Grajahù Praelatura *nullius;* ad orientem dioecesis Piauhyensis et ad meridiem Praelatura *nullius* de Bom Jesu de Piauhy. Novae ita erectae et circumscriptae dioecesis Caxiensis in Maragnano sedem et cathedram episcopalem in praefata urbe Caxias, a qua dioecesis ipsa, uti diximus, nomen mutuatur, constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium extollimus, eidemque omnia iura et privilegia tribuimus, quibus ceterae civitates episcopales iure communi fruuntur. Paroecialem vero Ecclesiam Nostrae Dominae *dos Remedios* dicatam, in eadem Caxias urbe exstantem, ad Cathedralis gradum et dignitatem evehimus; eique pariter eiusque pro tempore Episcopis iura omnia, honores, insignia, gratias et privilegia concedimus, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules ex iure communi pollent; eosque omnibus adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Novam insuper hanc dioecesim metropolitanae Ecclesiae S. Ludovici de Maragnano suffraganeam constituimus eiusque pro tempore Episcopos metropolitico eiusdem S. Ludovici Archiepiscopi iuri subiicimus. Cum autem praesentis temporis adiuncta non permittant quominus in nova hac dioecesi Canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim pro Canonicis dioecesani consultores ad iuris tramitem eligantur. Volumus insuper ut, iuxta Codicis praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas, parvum saltem Seminarium dioecesanum quamprimum fieri poterit erigatur; itemque ut suis sumptibus nova quoque dioecesis Caxiensis in Maragnano binos delectos iuvenes aut modo saltem unum, in Pontificium Collegium Pium Brasilianum de Urbe non intermissa vice mittat, ut sub oculis fere Romani Pontificis in spem Ecclesiae instituantur. Statuimus insuper ut episcopalis mensa Curiae emolumentis et ceteris oblationibus constituatur, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent, bonisque praesertim, quae ad hunc finem iam collecta sunt. Quod vero attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris Apostolici, sede vacante, electionem,

ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt. Quod praecipue ad clerum spectat, statuimus ut, simul ac hae dioecesis erectionis Litterae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi adscripti habeantur, in cuius territorio legitime exstant. Mandamus denique ut documenta et acta omnia, quae novam hanc dioecesim Caxiensem in Maragnano eiusque clericos et fideles respiciunt, a cancellaria archidioecesis S. Ludovici de Maragnano cancellariae tradantur novae dioecesis, ut in eius archivo religiose serventur. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, apud Brasilianam Rempublicam Nuntium Nostrum, deligimus, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id, ausu temerario,

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die vicesima secunda mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXII, n. 5. - Al. Trussardi.

II

S. LUDOVICI DE MARAGNANO
S. IOSEPHI DE GRAJAHÙ
(PINERENSIS)

ARCHIDIOECESIS S. LUDOVICI DE MARAGNANO ET PRAELATURA « NULLIUS » S. IOSEPH DE GRAJAHÙ DISMEMBRANTUR ET NOVA ERIGITUR PRAELATURA « NULLIUS » PINERENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad maius christifidelium bonum assequendum eorumque regimen facilius reddendum haud parum sane iuvat dioeceses nimio patentes territorio in partes dividere et novas exinde ecclesiasticas circumscriptiones constituere. Quum itaque Nobis constet fideles in septemtrionali-orientali parte *Maranhão* Status in Brasilia degentes spiritualibus fere destitui auxiliis et a suorum Episcoporum sedibus quam longissime distare, Nos tantae eorum necessitati absque mora subveniendum duximus. De consulto igitur venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, accedente quoque consensu venerabilium Fratrum Caroli Carmeli de Vasconcellos Mottas, Archiepiscopi S. Ludovici de Maragnano, et Aemiliani Ioseph Lonati, Episcopi titularis Epiphanensis in Cilicia et Praelati *nullius* S. Iosephi de Grajahù, nec non favorabili voto praehabito venerabilis Fratris Benedicti Aloisi Masella, Archiepiscopi titularis Caesariensis in Mauretania et apud Brasilianam Rempublicam Nuntii Apostolici, sup-

pleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi S. Ludovici de Maragnano et a Praelatura *nullius* S. Iosephi de Grajahù, pro parte ad utramque spectante, quod supra memoravimus territorium, limitibus ut infra definiendum, seiungimus, et novam ex eo Praelaturam *nullius*, quam a *Pinheiro* urbe « Pinerensem » nuncupari volumus, erigimus et constituimus. Fines itaque novae huius Praelaturae iidem erunt ac praesentes fines sex Municipiorum, idest *Pinheiro, Alcantara, Cururupù* et *Guimaraes*, ad archidioecesim S. Ludovici de Maragnano hucusque pertinentium, atque *Tury-Assù* et *Carutapera*, ad Praelaturam *nullius* S. Iosephi de Grajahù hucusque spectantium. Sedem autem Praelaturae in *Pinheiro* urbe, a qua ipsa nomen mutuatur, statuimus atque Ecclesiam Deo in honorem S. Ignatii de Lojola dicatam ibi exstantem ad Ecclesiae praelatitiae gradum et dignitatem evehimus, cui sedi et praelatitiae Ecclesiae, nec non Praelatis *nullius* Pinerensibus pro tempore omnia tribuimus iura et privilegia, quibus sedes et praelatitiae Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur; itemque Praelatos ipsos eorumque Ecclesiam omnibus oneribus et obligationibus adstringimus, eis ad iuris normam adnexis. Decernimus insuper ut nova haec Praelatura Pinerensis metropolitanae Ecclesiae S. Ludovici de Maragnano sit suffraganea illamque eiusque Praelatos metropolitico ipsius Archiepiscopi iuri subiicimus. Quod vero ad eiusdem Praelaturae regimen et administrationem, ad clericorum iura et onera, ad documentorum traditionem, aliaque huiusmodi, rite servari iubemus quae sacri Canones praescribunt. Quod autem ad clerum praecipue spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici censeantur adscripti Ecclesiae illi, in cuius territorio legitime exstant. In dotem autem ipsius Praelaturae assignamus et attribuimus oblationes, subsidia et bona quaecumque quae ad hoc conferentur, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique atque mandamus ut novae istius Praelaturae sumptibus bini delecti iuvenes, aut modo saltem unus, in Pontificium Collegium Pium Brasilianum in Urbe non intermissa vice mittantur, ut sub fere Romani Pontificis oculis in spem Ecclesiae instituantur. Ad quae autem omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Benedictum Aloisi Masella, apud Brasilianam Rempublicam Nuntium Nostrum, deligimus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ei onus im-

ponimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id, ausu temerario, attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die vicesima secunda mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno primo.

I. Card. GRANITO PIGNATELLI DI BELMONTE
S. Collegii Decanus

Fr. RAPHAËL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Carolus Respighi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXII, n. 4. – D. Francini.

III

SYRIAE MISSIO SUI IURIS
(CONSTANTINOPOLITANA SEU DE ISTANBUL)

A MISSIONE « SUI IURIS » SYRIAE TOTA SEIUNGITUR REGIO, VULGO « HATAY », ATQUE VICARIATUI APOSTOLICO CONSTANTINOPOLITANO SEU DE ISTANBUL ADNECTITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad maius christifidelium spirituale bonum assequendum eorumque regimen facilius reddendum haud dubie valde iuvat, si ecclesiastica territorii ubi illi degunt circumscriptio civili, quantum fieri possit, circumscriptioni respondeat. Iamvero quum tota *Hatay* regio, cui vulgo *Sangiaccato di Alessandretta* nomen erat, Turcicae dicioni nuper adnexa sit, attentis peculiaribus fidelium inibi degentium condicionibus atque rerum adiunctis, peropportunum visum est territorium illud aliter circumscribendum. Suppleto itaque quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, conlatis consiliis cum dilecto Filio Nostro Eugenio S. R. E. Cardinale Tisserant, S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, re mature perpensa, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, totam regionem illam *Hatay*, ad ecclesiasticum territorium missionis *sui iuris* Syriae hucusque spectantem, Vicariatui Apostolico Constantinopolitano seu *de Istanbul* perpetuo unimus illamque, una cum clero et populo, illius pro tempore Vicarii Apostolici in posterum subiectam volumus ac decernimus. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Volumus insuper ut harum Litterarum transumptis a notario publico subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, unionis, subiectionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpse-

rit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die quinta mensis Octobris, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXII, n. 20 – Al. Trussardi

IV

ALEPPENSIS
(DE ISTANBUL)

A VICARIATU APOSTOLICO ALEPPENSI TERRITORIA URBIUM « ADANA », « MERSINA » AC « TARSO » SEPARANTUR ATQUE VICARIATUI APOSTOLICO DE ISTANBUL ADIUNGUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo sacrorum Antistites pastorale sibi creditum munus utilius ac facilius in animarum bonum exercere valeant, non parum sane prodest si ecclesiastica locorum circumscriptio temporum adiunctis et civili circumscriptioni, quantum fieri possit, respondeat. Nos itaque considerantes peculiares condiciones, in quibus versantur fideles latini ritus infra limites Ciliciarum regionis degentes, quae iam plures annos, ut nuper finitima regio *Hatay,* Turciacae ditioni adnexa est, consilio collato cum dilecto Filio Nostro Eugenio S. R. E. Cardinale Tisserant, S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, suppleto quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa, apostolica Nostra auctoritate, quam supra diximus Ciliciarum regionem, territoria amplectentem urbium *Adana, Mersina* ac *Tarso* a Vicariatu Apostolico Aleppensi, ad quem hucusque illa pertinuit, seiungimus atque, ut nuper de Hatay quoque regione per alias Apostolicas Litteras statuimus, Vicariatui Apostolico de Istanbul adnectimus et unimus, et territoria ipsa, una cum clero et populo, eiusdem pro tempore Vicarii Apostolici de Istanbul iurisdictioni in posterum subiecta volumus ac decernimus. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque

rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Volumus insuper ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, a notario publico subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, unionis, subiectionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die nona mensis Decembris, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXII, n. 51 - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULO ET HONORIBUS BASILICAE MINORIS AUGETUR TEMPLUM ABBATIALE B. MARIAE V. DE AUREA VALLE INTRA FINES NAMURCENSIS DIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Hodiernos Namurcensis dioecesis intra fines exstat ex Ordine Cisterciensium Reformatorum seu strictioris observantiae templum abbatiale Aureum-vallense, vulgo *d'Orval* nuncupatum. Iam eodem loco antiquissima erat Ordinis Cisterciensis Abbatia quam ipse sanctus Bernardus Claravallensis fundaverat; quaeque per saecula multa usque ad Revolutionis Gallicae tempora conspicuo monachorum numero floruit, qui non modo in proprium spirituale sed fidelium etiam finitimae regionis bonum incubuerunt. Cum vero eadem Abbatia ob nefastam eversorum hominum tempestatis illius noxiamque operam abhinc saeculum circiter unum plenam in ruinam prolapsa esset; eam denuo hisce temporibus Nostris exaedificandam curavit praelaudatus Cisterciensium Ordo, auxiliis tum procerum tum popularium e belgica ac luxemburgensi ditione adiutus et fretus. Templum abbatiale,

quasi palladium nationis Belgarum magnifice renovatum, amplitudine praesertim ac nitore molis stylo gothico, uti aiunt, cisterciensi admodum puro exstructae renidet; idemque iam ad pie invisendum turmatim ac peregrinorum quoque more fideles confluunt; in aedem vero abbatialem, templo eidem adnexam, presbyteri e diversis Belgii dioecesibus ad sancta spiritualia Exercitia peragenda libenti animo sese recipiunt. Quapropter cum dilectus filius hodiernus Abbatiae de Aurea Valle praesul enixis precibus a Nobis postulaverit ut, votis etiam ex omni ordine civium procerumque Belgii catholici adnuentes, tum ad christianae pietatis incrementum cum ad decus augendum vetusti tituli abbatialis, novam eiusdem ecclesiam ad Basilicae minoris dignitatem eveheremus, Nos optatis huiusmodi benigna voluntate concedendum censemus; idque eo propensius cum Venerabilis Frater Archiepiscopus titulo Apamenus in Syria, Apostolicus Noster in Belgio Nuncius, amplissimo commendationis officio suo preces memoratas communiat. Conlatis itaque consiliis cum Sacra Rituum Congregatione, praesentium Litterarum tenore, Apostolica auctoritate Nostra, memoratum templum abbatiale B. Mariae Virginis de Aurea Valle, intra fines Namurcensis dioecesis noviter erectum, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris,* iuribus privilegiisque rite competentibus adiectis, perpetuum in modum augemus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exsistere et fore; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique ad quod spectant templo abbatiali Aureo-vallensi plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII m. Decembris an. MCMXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

A. Card. MAGLIONE, *a secretis Status.*

II

SANCTUARIUM B. MARIAE V. ZAPOPANENSE INTRA FINES DIOECESIS GUADALAJARENSIS TITULO BASILICAE MINORIS ORNATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Compertum Nobis est, ex libello supplici Commissarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum in Mexico, templum seu sanctuarium Beatae Mariae Virginis Zapopanensis, intra

fines Guadalajarensis archidioecesis ac Ditionis Mexicanae positum, solidissima ac spectabili structura dorica, amplitudine satis conspicua, et multiplicibus artis operibus affabre sculptis praestare, nec non sacra supellectili abundanter exornari. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo exaedificatum, fratribus Minoriticae provinciae Sanctorum Francisci et Iacobi sanctuarium idem concreditum est, ac postea sollemni etiam consecratione auctum. Sacra autem aedes eadem Beatae Mariae Virginis nobilitatur Imagine, quam secum portarunt antiqui missionarii qui Kaliscorum in regione Evangelium Indiis nunciarunt, fidemque catholicam praedicaverunt; ac propterea tum incolae regionis tum advenae e dissitis etiam locis atque peregre confluentes christifideles singulari pietate et fiducia Sanctam Beatae Deiparae Imaginem venerantur, Sanctuarium Eius celebrant; sacrisque functionibus, quae inibi fiunt ea, qua par est, liturgica sollemnitate, devote intersunt. Haec animo repetentes, cum praefatus Generalis Commissarius Ordinis Fratrum Minorum, communia vota depromens, Nos enixe rogaverit ut enunciatum Sanctuarium ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus, hasque preces cumulet Venerabilis Fratris Guadalajarensium Archiepiscopi amplissimum suffragium, Nos votis huiusmodi annuendum ultro libenterque censemus. Itaque, conlatis consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, memoratum templum seu Sanctuarium Zapopanense, ad honorem Beatae Mariae Virginis Deo dicatum, ad *Basilicae Minoris* titulum et dignitatem promovemus, iuribus privilegiisque adiectis, quae rite competant. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x m. Ianuarii, an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri primo.

A. Card. MAGLIONE, *a secretis Status.*

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRORUM

Feria IV, die 28 Februarii 1940

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, praedamnatos esse declararunt, vi canonis 1399 C. I. C., atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt duos libros ab Edmundo Fleg conscriptos, quibus tituli:

L'enfant prophète,
Jésus raconté par le juif errant.

Et sequenti Feria V, die 29 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 4 Martii 1940.

Romulus Pantanetti, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE CONSISTORIO SEMIPUBLICO AD EXQUIRENDA SUFFRAGIA PRO CANONIZATIONE BEATARUM: MARIAE A SANCTA EUPHRASIA PELLETIER ET GEMMAE GALGANI, VIRGINUM.

Peractis iam de more Consistoriis tum secreto, tum publico, diebus decima prima mensis Decembris anni 1939 et septima huius mensis Martii in Palatio Apostolico Vaticano, Ssmus Dominus Noster Pius, Div.

Prov. Pp. XII Consistorium semipublicum die quarta proximi mensis Aprilis habendum decrevit, in quo exquiret Episcoporum sententiam pro canonizatione Beatae Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professae ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, et Gemmae Galgani, virginis saecularis.

Quapropter Ssmus Dominus praescribit ut omnes Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Praelati et Abbates *nullius*, qui sunt intra centesimum ab Urbe lapidem, si possint, Romam tempestive petant, praefato Consistorio intersint, suffragium suum, *brevissima oratione*, edituri et solemni canonizationi, si in eodem Consistorio indicta fuerit, suo tempore adsistant. Ceteros vero Antistites de his quae supra memorantur certiores reddit, laetus quidem si ad eumdem finem romanum iter suscipere velint.

Ne autem locorum Ordinarii frequentibus itineribus nimium graventur, Sanctitas Sua benigne indulget, ut qui sive occasione Consistorii Romam convenerint sive praefatis solemniis adfuerint, proxima vice ab obligatione sacra Limina visitandi eximantur; salvo onere remittendi ad hanc Sacram Congregationem Relationem de statu dioecesis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 8 Martii 1940.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris canonici pro appellatione Ordinarius Praefecturae Apostolicae de Shunsen designavit Tribunal Vicariatus Apostolici de Wonsan (Gensan).

Quam designationem Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII in audientia diei 13 mensis Decembris a. 1939 approbavit.

Item Ordinarii Libyae, quibus ex pontificia concessione facultas facta erat instituendi Tripoli unicum tribunal primae instantiae pro causis matrimonialibus, designaverunt pro appellatione Tribunal Metropolitanae Ecclesiae Panormitanae.

Quam designationem Ssmus approbavit in audientia diei 23 mensis Ianuarii a. 1940.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA seu CORDUBEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE A SACRO CORDE IESU, FUNDATRICIS ANCILLARUM SACRATISSIMI CORDIS IESU.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Homines omne genus angustiis doloribusque pressos benignissimus Salvator noster suavissimis hisce verbis ad Se invitavit, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mt., XI, 28).

Quam invitationem decimoseptimo saeculo, dum teterrima Ianseniana haeresis, in Gallia praesertim, debacchabatur, quae *amori in Deum pietatique inimica, Deum non tam diligendum ut patrem, quam extimescendum ut implacabilem iudicem praedicabat,* Ipse S. Margaritae Mariae Alacoque apparens, misericorditer iteravit, *Cor suum sacratissimum, quasi pacis et caritatis vexillum elatum gentibus ostendens, haud dubiam portendens in certamine victoriam* (Pius XI, Enc. *Miserentissimus*). Exinde factum est ut divino quodam instinctu ex Ecclesiae sinu innumerae religiosae Familiae, Sodalitates piaeque uniones, quae eiusdem cultum saluberrime fovent, exsurrexerint.

Quas inter honorabilem tenet locum *Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu* Institutum a Maria a Sacro Corde Iesu fundatum, quod ob praeclaras eius virtutes intimumque impulsum mire excrevit nec mediocrem gloriam in christiana societate sibi comparavit. Praeclarae hae virtutes, quae veluti sub modio, Famula Dei vivente, sub humilitatis velo absconditae manserant, ea demortua, declaratae, Institutum impulerunt ut ad beatificationis honores suae Matri comparandos manus admoveret. Nec frustra, uti vel leviter eius vitam pervolventi apparet.

Die 1 Martii a. 1850, feria VI, Sacratissimo Cordi Iesu sacra, in pago Pedro-Abad, non longe ab urbe Corduba, in Hispania, ex piis parentibus Ildefonso Porras et Raphaëla Ayllon, censu nobilique genere claris, decima inter tredecim liberos, nata est Raphaëla, Francisca a Ssmo Rosario, Rudesinda, quae nomina, sequenti die, in sacro baptismo, recepit.

Quinquennio post, patre orbata, matris sapienti cura fortiter suaviterque ad pietatem atque ad litterarum rudimenta fuit instituta.

Quantum in pietate profecerit aperte coniici potest ex eo quod vix septennis, ut fertur, ad sacram mensam, rarissimo tunc exemplo, fuerit admissa; die autem S. Aloisio Gonzagae sacro insequentis anni 1858, Confirmationis sacramento fuit roborata.

Miras iugiter in perfectionis via progressiones fecit. Quindecim annos nata castitatis voto se obstrinxit. Matre quoque a. 1869 amissa, totam operibus pietatis caritatisque erga proximum se dedidit. Divinam vocationem ad religiosum statum persentiens, in Societatem Sororum a Maria Reparatrice, quarum domus Cordubensis suis suaeque sororis Dolores impensis condebatur, admitti postulavit, obtinuitque.

Verum, Sororibus his anno 1876 Corduba abscedentibus, Dei Famula iussa est regimen novae religiosae familiae suscipere, quae paullo post, fundata Matriti domo, civitatis tunc sub Toletani Archiepiscopi iurisdictione positae, eiusdem Archiepiscopi consilio *Sororum Reparatricum Sacri Cordis* nomen accepit. Verum Apostolica Sedes nomen hoc anno 1886 in decreto, quod dicitur *laudis*, in *Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu* immutavit, sequenti vero anno Instituti definitivae approbationis edidit decretum.

Dei Famula a. 1877 temporariam, anno autem 1888 perpetuam religionis votorum professionem emisit. Antecedenti anno generalis sui Instituti Moderatrix unanimiter fuit electa, quo munere quinque post annos se abdicavit. Inscrutabili autem Dei consilio factum est ut haec, veluti aurum, quod per ignem probatur, per triginta duos solidos annos heic Romae a cunctis Instituti officiis seposita et quasi neglecta, orationi carnisque mortificationi intenta, absconditam in Christo vitam duceret, angoribus doloribusque confertam, quos generose in humilitatis spiritu sustulit ad mortem usque, quam, post atrocissimum morbum patientissime toleratum, Ecclesiae sacramentis roborata, die 6 Ianuarii a. 1925 piissime obivit.

Sanctitatis fama post eius mortem succrevit. Quare, undecim vix transactis annis, Ordinaria auctoritate in Urbe informativus processus super sanctitatis fama, scriptis atque cultu numquam praestito, die 1 Februarii a. 1936 coepit confici, biennio autem post fuit consummatus: Rogatoriales item processus Mediolani, Westmonasterii, Cordubae atque Bono Aere constructi sunt.

Interim Summo Pontifici postulatoriae litterae fuere porrectae, ad Causae Introductionem obtinendam, a quattuor S. R. E. Cardinalibus, duabus Regiis Principibus, sex Archiepiscopis, septem Episcopis, Ca-

pitulo Cathedrali Corduben. nec non a Provinciali Deputatione, Municipio, Advocatorum Collegio atque mercatorum coetu eiusdem civitatis, Municipio denique Pedro-Abad, natali Servae Dei pago.

Die 21 Decembris mensis anno 1938 Sacra Rituum Congregatio decrevit nihil ex scriptis obstare quominus ad ulteriora procedi queat. Omnibus itaque de iure comparatis, instante Revmo P. Carolo Miccinelli, S. I., Causae Postulatore, die 21 Novembris mensis anni huius in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Petrus Boetto, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit disceptandum : *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi ac Revmi Patres, auditis Cardinalis Ponentis relatione nec non Officialium Praelatorum suffragiis scripto latis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus perpensis, rescribendum censuere : *Affirmative,* seu *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Ssmo placuerit.*

Facta autem Ssmo D. N. Pio Papae XII, subsignata die, ab eodem R. P. D. Promotore generali relatione, Sanctitas Sua Emorum Patrum rescriptum ratum habens, propria manu *Commissionem Introductionis Causae Servae Dei Mariae a Sacro Corde Iesu* signare dignata est.

Datum Romae, die 22 Novembris a. D. 1939.

C. Card. Salotti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

VICEN. seu BARCINONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI IOACHIMAE DE VEDRUNA VID. DE MAS, FUNDATRICIS INSTITUTI CARMELITARUM A CARITATE.

Super dubio

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, Tuto *procedi possit ad praedictae Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

Quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis (2. Cor., 4, 17).

Etsi multis tribulationibus hac in vita veluti obruimur, ne timeamus, nobiscum est *Pater et Deus totius consolationis* (2, Cor., 1, 3), «qui facit, uti praeclare S. Robertus Bellarmino scribit, ut tribulatio nonnisi guttatim instilletur nobis, cum futura gloria sit quasi flumen

inundans, iuxta illud Ps., 35, 9: *Torrente voluptatis tuae potabis eos*» (Expl. in Ps., 90, 15).

Multa quidem adversa Venerabilis Ioachima de Vedruna Vid. de Mas pro Dei gloria eiusque amore est passa. Ipse vero Deus, eam, dum viveret, roborando et consolando, postea vero eam magnifica gloria, in Ecclesiae quoque conspectu munerando, Famulae Suae amorem munifice rependit: evidenter etiam significans fideles ad perfectionis culmen, in quacumque vitae conditione, eius adiuvante gratia, posse pertingere.

Porro Venerabilis Ioachima in virginitate, in coniugio, in viduitate, in vita religiosa, eximia sanctitatis specimina exhibuit. Re sane vera, die 16 Aprilis a. D. 1783 sacris baptismi aquis regenerata fuit, atque nomina: Ioachima, Francisca de Paula, Antonia ei imposita. Parentes Laurentius et Teresia Vidal nobilitate quidem generis clari, christianis vero virtutibus clariores, filiolam suam, sicut et ceteros septem filios, ad pietatem omni cura educarunt, cui Ioachima adeo perfecte respondit, ut vel minimas actiones adhuc puellula ad Deum dirigeret. Duodecim annos nata vehementer inter moniales Carmelitas adnumerari optaverat, cui voto satisfacere non est ei datum.

Parentum impulsu, suique animi moderatoris consilio obtemperans, cum piissimo iuvene Theodoro de Mas matrimonium inivit, quem tenerrimo amore novemque liberis beavit.

Marito viduata, Vicum secessit, filiorum educationi caritatisque operibus per decennium in exemplum incumbens.

Anno 1826 non sine speciali divino impulsu sub *Carmelitarum a Caritate* nomine Institutum condidit, a Vicensi Episcopo, Paulo a Iesu Corcuera, canonice sancitum, cui duplex finis propositus, puellarum nempe institutio, infirmorumque cura. Institutum hoc a Pio Papa IX fel. rec. fuit approbatum; constitutiones autem, a P. Stephano ab Olot, Ordinis Minorum Capuccinorum, conscriptae et a B. Antonio M. Claret revisae, primitus, uti mos est, ad tempus ab eodem Pontifice, approbatae vero penitus a Leone XIII fuere. Ioachima, dum viveret, plures in tota Hispania condidit domus; post eius autem mortem plurimae aliae per Europam atque exteras regiones fuerunt erectae, cum maximo christianae societatis emolumento.

Dum bellum in Hispania fureret, exilium carceremque est passa. In condendo Instituto eoque moderando plurimas adversitates Deo confisa fortissime superavit. Adorabile sanctissimae Trinitatis mysterium singulari religione colebat, trisagium iugiter per diem ingeminare in deliciis habens: sacrosanctae Eucharistiae cultum mirifice promovit: erga Beatissimam Virginem tenerrima devotione ferebatur.

Plures quoque apud Deum intercessores sibi studuit conciliare, sed ex his singulari observantia castissimum eiusdem B. Mariae V. Sponsum coluit, Archangelumque Raphaëlem, a quo plura beneficia se accepisse agnoscebat.

Animas purgatorio igni addictas ab eorum paenis sublevare orationibus atque sui corporis cruciatibus sategit.

Ceterum perfectissimum virtutum omnium exemplar coram omnibus eluxit. Prophetico spiritu afflata plura praedixit, animorum secreta penetravit, aliisque supernaturalibus donis fuit a Deo ornata.

Apoplectico et cholerico morbo abrepta Barcinone die 28 Augusti mensis anno 1854 morientium sacramentis roborata ad Dominum evolavit.

Pretiosam mortem sanctitatis fama est subsequuta. Quapropter in Vicensi Curia annis 1909-1911 informativi super eadem fama nec non super scriptis cultuque liturgico non praestito constructi sunt processus. Die 22 Ianuarii a. 1919, celeberrimo hispano martyri Vincentio dicata, pro Famulae Dei scriptis Sacra haec Congregatio edidit decretum. Benedictus XV, fel. rec., die 14 Ianuarii a. 1920 Causae Introductionis Commissionem obsignavit. Die 13 Iulii a. 1921 vetitum cultum ei praestitum non esse declaratum est. Apostolicis inquisitionibus peractis riteque recognitis, post triplicem in Sacrorum Rituum Comitiis disceptationem, quarum postrema coram Pio Papa XI recolendae memoriae fuit peracta, heroicis virtutibus eam fulsisse, die 16 Iunii, in festo SS. Trinitatis a. D. 1935 decretum est.

Demum duo miracula a Deo Suae Famulae interventu fuisse patrata, die 28 Ianuarii proxime elapsi, edictum est.

Novissimum, ut ad ulteriora procedi quiret, dubium disceptandum supererat; nempe: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* TUTO *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.* Quod infrascriptus Cardinalis, Sacrae Rituum Congregationis Praefectus Causaeque Ponens seu Relator, in Generali Coetu coram Ssmo D. N. Pio Papa XII coadunato die 13 mensis huius proposuit. In affirmativam sententiam quotquot aderant tum Rmi Cardinales cum Officiales Praelati Patresque Consultores concesserunt: Beatissimus vero Pater, ut Suam ederet, cunctandum aliquantisper censuit, ut tantam rem coram Deo, effusis precibus, maturaret.

Dominicam itaque hanc, tertiam Quadragesimae, quam opportunissime selegit. Sicut enim in huius Missae Evangelio divini Magistri et Iudicis sententia legitur: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud,* ita Eius in terris Vicarius Beatam mox edicendam iubet Venerabilem Dei Famulam quae verbum Dei audivit, perfectissimeque custodivit.

Advocatis itaque ad Se infrascripto Cardinali, R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, meque infrascripto Secretario, sacrosancto Missae sacrificio piissime litato, pronunciavit: TUTO *procedi posse ad sollemnem Venerabilis* Ioachimae de Vedruna *viduae* de Mas *Beatificationem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri Apostolicasque Litteras sub Piscatoris anulo expediri mandavit.

Datum Romae, die 25 Februarii a. D. 1940.

✠ CAROLUS Card. SALOTTI, Episcopus Praenestinus,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

ROMANA SEU SANCTI LUDOVICI

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PHILIPPINAE DUCHESNE, E SOCIETATE SORORUM A SACRO CORDE IESU.

SUPER DUBIO

An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, TUTO *procedi possit ad sollemnem praedictae Venerabilis Beatificationem.*

« Etsi Deus... omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae consilio, maluit; et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit » (Leo XIII, Enc. *Satis cognitus* 1896 de Un. Eccl.). Quapropter nullo unquam tempore defuerunt, qui, divina inspirante gratia, animarum saluti incumberent tum populorum, qui fidei lumine iamdiu fuerunt illustrati, cum gentium, quae divinae revelationis beneficio nondum fruitae, caeca superstitione conflictantes, *in tenebris et in umbra mortis* miserabiliter *sedent.*

Venerabilis Philippina Duchesne, quae incensissimum in corde illum fovebat ignem, quem amantissimus Dominus Noster Iesus Christus venit mittere in terram, ad evangelizandas Septemtrionalis Americae gentes, S. Magdalena Sophia Barat assentiente, die 14 Martii mensis anno Domini 1818, postquam duodecim annos enixis precibus a Deo gratiam

ad missiones proficiscendi imploravisset, in navim Burdigalae, cum quinque sodalibus suae curae commissis, conscendit. Sabbato autem sancto, die 21 eiusdem mensis, aperta Oceani est ingressa, die autem 29 Maii Sacratissimo Cordi Iesu sacra ad Americanam terram appulit, die denique 24 Augusti ad S. Ludovici urbem pervenit. Voti compos facta nulli pepercit industriae, a nullo abhorruit incommodo, sui oblita, ut divini Cordis religionem tum inter silvicolas, cum inter eos, quos christiani nominis potius osores quam asseclas dixeris, dilataret. Quatuor supra triginta annos, in vastissima S. Ludovici dioecesi, indefessa adlaboravit, multamque animarum messem collegit. Ut missionalibus opem ferret, se suaque omnia impendebat et superimpendebat, quin immo ad hunc assequendum finem ita animo erat composita, ut libenter seipsam venum ire velle dictitaret; quem mentis habitum iugi oratione asperisque paenitentiis sibi heroice comparavit.

Virtutum omnium monilibus ornata, in aetate octoginta trium annorum, Ecclesiae sacramentis refecta, a divino Sponso, *quem amavit, quem quaesivit, quem semper optavit,* die 18 Novembris anno 1852, ad caelestes nuptias advocata, sanctissimam mortem obivit.

Sanctitatis fama, qua, dum viveret, Philippina vulgo fruebatur, post eius obitum magis magisque increvit. Non solum enim sanctam eam existimabant S. Magdalena Sophia Barat, Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu fundatrix, ceteraeque huius familiae alumnae, sed et externi omnes, quotquot cum ea consuetudinem habebant, immo et ipsi Potowatomii silvicolae, qui *mulierem quae semper orat* eam praedicabant.

Quare canonici processus in Curia S. Ludovici atque in alma hac Urbe fuerunt adornati, tum ordinaria cum apostolica auctoritate, super fama et virtutibus in genere atque in specie. Quibus perpensis, die 9 Decembris a. 1909 a Pio Papa X fel. rec. Causa fuit introducta, die autem 17 Martii a. 1935 heroicarum virtutum iubar fuit recognitum, Pio XI s. m. approbante.

Quum autem Deo Famulae Suae virtutes, miraculorum testimonio, comprobare placuisset, hisce ad severam trutinam examinatis, die 28 elapsi Ianuarii mensis, approbationis decretum Pii Papae XII auctoritate fuit editum.

Quo denique ad sollemnia beatificationis posset procedi nihil aliud restabat, nisi coram Ssmo D. N. Sacra Congregatio suum ederet suffragium : quod die 13 mensis huius factum est. Infrascriptus enim Cardinalis, loco et vice Rmi Card. Boetto, Ponentis, dubium proposuit : *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis Beatificationem.* Cui dubio tum Rmi Car-

dinales, cum Officiales Praelati, Patresque Consultores unanimiter *Affirmative* responderunt.

Beatissimus vero Pater sententiam edere distulit, ut maiori divini Spiritus luce mens Sua illustraretur.

Hanc autem diem Dominicam tertiam in Quadragesima assignavit ut Suam aperiret mentem.

Quare Rmis Cardinalibus Carolo Salotti Sacrae Rituum Congregationis Praefecto atque Petro Boetto Causae Ponente seu Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque infrascripto Secretario accitis, divinaque litata hostia decrevit: Tuto *procedi posse ad Venerabilis* Philippinae Duchesne *Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari, in acta Sacrae Rituum Congregationis referri Apostolicasque Litteras sub Piscatoris anulo expediri mandavit.

Datum Romae, die 25 Februarii a. D. 1940.

✠ Carolus Card. Salotti, Episcopus Praenestinus,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

IV

BRIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS ANCILLARUM A CARITATE.

Super dubio

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Illud est caritatis erga proximum culmen, ut vitam ipsam pro eo quis exponere paratus sit, dicente Domino: *Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Io., 15, 13). Salutare hoc monitum in corde alte defixum Venerabilis Maria Crucifixa di Rosa tenuit; *ab infantia enim crevit cum ea miseratio* (Iob, 31, 18), quae eam anno 1836, in ipso iuventutis flore, ad curandos Brixiae cholerica lue affectos impulit. Non multo autem post, eodem afflata spiritu, novam religiosam familiam condidit, quae infirmorum curae christiana caritate incumberet, puellas institueret, periclitantes ad bonum retraheret, atque aliud quodcumque pium caritatis opus exerceret: unde *Ancillarum a Caritate* Instituti titulus. Venerabilis fundatrix omnibus spiritualibus

suis filiabus praeibat, eximium eisdem omnium virtutum, caritatis praesertim, exemplum praebens.

Pretiosa mors die 15 Decembris mensis a. 1855 sanctam eius vitam complevit.

Ob politicas perturbationes informativi processus cito, ut erat in votis, construi nequiverunt. Hoc tamen non obstante, die 10 Decembris mensis a. 1913 Pius X fel. rec. Commissionem Introductionis Causae sua manu obsignavit. Die autem 10 Iulii a. 1932 heroicas ipsam virtutes exercuisse, Pio XI, recolendae memoriae, approbante, decretum est.

Quum autem plures gratias seu miracula Deus patrasse visus sit, duas sanationes, quae omnes miraculi characteres praeseferunt, diligentes actores Sacrae Rituum Congregationi exhibuerunt.

I. Prior sanatio anno 1906 Cremonae contigit. Carolina Zucchi, postea Ancilla a Caritate in Instituto a Venerabili Maria Crucifixa fundato, quum sexdecim esset annorum, *pottiano* morbo tentari coepit, qui insanabiles laesiones in dorsualibus et cervicalibus vertebris induxerat cum consequenti spinalis medullae compressu, uti colligitur quoque ex crurum atque sphincterum paralysi. Diagnosim hanc, unanimiter octo medici, qui per duodecim annos eam curarunt, edixerunt atque in tabellis clinicis valetudinarii obsignavere. In hanc pariter diagnosim periti ab hac Sacra Congregatione adlecti concesserunt.

Morbus hic Carolinam fere ad mortem adduxerat, adeo ut morientium sacramentis fuisset refecta, medensque die 10 Octobris, sero, in unam tantum vitae horam eam perdurare posse edixisset.

E contra, Carolina, Venerabili Maria Crucifixa per bimestre invocata, hora prima cum tribus quadrantibus diei 11, extemplo perfecte sanata est, uti post paucas horas medicus primarius Cremonensis hospitalis declaravit, miraculum in sanatione agnoscens.

Miraculum intervenisse tres quoque periti ex officio, duoque ex medentibus in iudicio excussis fatentur.

II. Altera sanatio anno 1929 in loco vulgo dicto Gargnano in Brixiensi dioecesi evenit. Ex chirurgica operatione, cui Rosa Gottardi, die 11 Martii 1929 se subiecerat, evidenter constitit ipsam hepatica calculosi cum choledochi occlusione aliisque morbidis adiunctis affectam fuisse. Hac peracta operatione, morbi symptomata non solum non desaevierunt, sed et in peius ruerunt, adeo ut ad mortis limen eam fere adduxerint, uti curans medicus atque alter a consultatione die 14 Septembris a. 1929 affirmarunt. Rosa hac in conditione summo mane diei 16 eiusdem mensis, quo eam medens invisit, versabatur.

Medica arte incassum cedente, ferventes preces tum infirma, cum fa-

miliares, pro sanatione obtinenda Venerabili Maria Crucifixa intercedente, effuderunt. Quin immo eius germanus frater eodem die, hora 6 cum dimidio Missam hac mente celebravit. Tunc Rosa extemplo sanatam se sentit, omnibus morbidis effectionibus illico recedentibus.

Perfectam sanitatem Rosam assequutam fuisse post duas circiter horas medens recognovit, quod post sexennium duo periti physici perseverasse confirmarunt, qui pari sententia nullum probabilis reiterationis morbi indicium invenerunt.

Tres periti ex officio nec non medicus a cura miraculum in hac sanatione evenisse expresse fatentur; duo alii curantes aequipollenter.

Super his sanationibus apostolicae in Cremonensi et Brixiensi Curiis peractae sunt inquisitiones, pro quarum iuridico valore Sacra haec Congregatio die 23 Martii a. 1938 decrevit.

De utraque in antepraeparatoria Congregatione coram infrascripto Cardinali, Causae Ponente, die 13 Decembris mensis anno 1938 disceptatum est; dein in praeparatoria die 25 Aprilis a. elapso coram PP. Cardinalibus; demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 13 mensis huius in generali, in qua idem Cardinalis dubium proposuit: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Porro Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque protulere sententiam. Beatissimus vero Pater, suffragiis attento animo auditis, preces ingeminandas esse hortatus est, ut in re tanti momenti maiori a Deo Ipse perfunderetur lumine, antequam suum proferret iudicium.

Hanc autem diem 25 Februarii, Dominicam III in Quadragesima, selegit ut supremam ederet sententiam. Quare infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto Causaeque Ponente, nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore Generali meque infrascripto Secretario accitis, sacraque Hostia pientissime litata, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per Venerabilis* Mariae Crucifixae di Rosa intercessionem patratis, nempe: *De instantanea perfectaque sanatione tum Carolinae Zucchi a morbo pottiano cervicali et dorsuali cum medullari compressu, cum Rosae Gottardi a gravissima syndrome hepatica ex retentione biliari.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 25 Februarii a. D. 1940.

✠ Carolus Card. Salotti, Episcopus Praenestinus,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE « DE PROPAGANDA FIDE »

La Sacra Congregazione « de Propaganda Fide » ha nominato:

19 dicembre 1939. Il Revmo Monsig. Giovanni Macmillan, *Membro del Consiglio superiore generale della Pontificia Opera della Propagazione della Fede per l'Inghilterra.*

8 gennaio 1940. Il Revmo D. Edoardo Nécsey, *Presidente della Pontificia Opera della Propagazione della Fede per la Slovacchia.*

16 » » Il Revmo Monsig. Dionisio McDaid, *Membro del Consiglio superiore generale della Pontificia Opera della Propagazione della Fede per l'Irlanda.*

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Con l'intervento degli Emi e Revmi Signori Cardinali e dei Revmi Prelati Officiali, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria,* nella quale è stato discusso sugli scritti dei sottonotati Servi di Dio:

1) Teodora Guérin, fondatrice delle Suore della Provvidenza.

2) Maria della Croce (Giovanna Jugan), fondatrice delle Piccole Suore dei Poveri.

3) Marta Le Bouteiller, della Congregazione delle Suore della Scuola Cristiana della Misericordia.

4) Raffaele Captier e Compagni, dell'Ordine dei Frati Predicatori, uccisi in odio alla Fede.

5) Giordano Maj, laico professo dell'Ordine dei Frati Minori.

6) Enrico Chaumont, sacerdote secolare.

7) Giovanni M. Giuseppe Lataste, dell'Ordine dei Predicatori, fondatore della Congregazione del Terz'Ordine di S. Domenico di Bethania.

8) Margherita d'Ungheria, comunemente chiamata Beata.

9) Maria Clotilde di Savoia, vedova Napoleone.

10) Enrica Dominici, dell'Istituto della Suore di S. Anna e della Provvidenza.

11) Maria Adelaide di S. Teresa, Suora professa dell'Ordine delle Carmelitane scalze.

12) Giovanni Poulain e Compagni, uccisi in odio alla Fede.

Martedì, 5 marzo 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Consultori teologi hanno dato il loro voto:

1) Sul *Tuto* per la Beatificazione della Venerabile Serva di Dio Maria Crocifissa di Rosa, fondatrice della Congregazione delle Ancelle della Carità.

2) Sopra due miracoli che si asseriscono da Dio operati ad intercessione della Venerabile Maria Guglielma Emilia de Rodat, fondatrice delle Suore della S. Famiglia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, in data 17 febbraio 1940, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è benignamente degnato di nominare il Revmo Monsig. Ermenegildo Florit e i Revmi Padri Arnoldo van Lantschoot, O. Praem., Atanasio Miller, O. S. B., e Antonio Casamassa, O. E. S. A., *Consultori della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

Con Breve Apostolico, il Santo Padre Pio XI, di s. m., si degnò di nominare:

15 luglio 1938. Monsig. Carlo Casanueva, dell'archidiocesi di Santiago del Chile, *Protonotario Apostolico* ad instar participantium.

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

19 gennaio 1940. L'Illmo e Revmo Monsig. Luigi Haver, *Prelato Chierico della Rev. Camera Apostolica.*

21 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Luigi Maglione, *Protettore della Congregazione delle Piccole Ancelle del Sacro Cuore* (Città di Castello).

29 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Vincenzo La Puma, *Protettore della Congregazione dei Fratelli Celliti o Alessiani, di Aquisgrana.*

19 febbraio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Eugenio Tisserant, *Protettore dell'Istituto delle Dame di Santa Clotilde, di Parigi.*

» » » L'Illmo e Revmo Monsig. Pietro Coffano, *Prelato Votante del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

20 » » S. E. Revma Monsig. Giuseppe Beltrami, Arcivescovo eletto tit. di Damasco, *Nunzio Apostolico nel Guatemala.*

20 febbraio 1940. S. E. Revma Monsig. Giuseppe Beltrami, Arcivescovo eletto tit. di Damasco, *Nunzio Apostolico nel Salvador.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

15 gennaio 1940. S. E. Revma Monsig. Stefano Hanauer, Vescovo di Vácz.
29 » » S. E. Revma Monsig. Luigi Ermini, Vescovo di Fabriano e Matelica.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

30 agosto 1939. Monsig. Francesco Szvoboda, della diocesi di Satu Mare.
15 gennaio 1940. Monsig. Geisa Zebracky, della diocesi di Cassovia Slovacca.
21 » » Monsig. Giovanni Giuseppe Alvares de Moura, della diocesi di Portalegre.
29 » » Monsig. Vittore Martin, della diocesi di Strasburgo.
27 febbraio » Monsig. Lucio Ubezio, della diocesi di Vigevano.

Prelati Domestici di Sua Santità:

16 agosto 1939. Monsig. Francesco Lukman, della diocesi di Lavant.
18 settembre » Monsig. Ivan Romanoff, del Vicariato Apostolico di Sofia e Filippopoli.
19 » » Monsig. Francesco Bartoss, dell'Amministrazione Apostolica di Debreczen.
23 novembre » Monsig. Vincenzo Fulgosi, della diocesi di Spalato.
4 dicembre » Monsig. Giacomo A. Murphy, della diocesi di Charlottetown.
20 » » Monsig. Adalberto Gajdatsy, della diocesi di Alba Julia.
» » » Monsig. Luigi Boga, della medesima diocesi.
13 gennaio 1940. Monsig. Alfonso Martel, della diocesi di Lafayette.
» » » Monsig. Federico J. Ernst, della diocesi di San Giuseppe.
» » » Monsig. Giovanni J. O'Neill, della medesima diocesi.
15 » » Monsig. Vincenzo Cirilli, della diocesi di Acquapendente.
17 » » Monsig. Raffaele Negro, dell'archidiocesi di Otranto.
» » » Monsig. Antonio Tasso, della diocesi di Ivrea.
29 » » Monsig. Enrico Jeannotte, dell'archidiocesi di Montréal.
» » » Monsig. Giuseppe di Gesù Ramirez, dell'archidiocesi di Durango.
» » » Monsig. Napoleone Minerva, della diocesi di Gallipoli.
30 » » Monsig. Donato Pagano, della diocesi di Bovino.
» » » Monsig. Giovanni Senerchia, della medesima diocesi.
1 febbraio » Monsig. Luigi Pirelli, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Monsig. Gustavo Serracchioli, dell'archidiocesi di Bologna.
» » » Monsig. Domenico Bornigia, della diocesi di Iesi.
» » » Monsig. Alfredo Vozzi, della diocesi di Anglona-Tursi.
» » » Monsig. Adriano Spinedi, della diocesi di Terni.
2 » » Monsig. Pietro Amateis, dell'archidiocesi di Torino.
6 » » Monsig. Aurelio Belletti, della diocesi di Novara.

8 febbraio 1940. Monsig. Giovanni Ferenčik, della diocesi di Scepusio.
12 » » Monsig. Raffaele Casimiri (Roma).
29 » » Monsig. Michele Giuseppe Cole, dell'archidiocesi di Halifax.
» » » Monsig. Giuseppe Emilio Bourneuf, della medesima archidiocesi.

ONORIFICENZE

Con Breve Apostolico, in data 24 gennaio 1939, il Santo Padre Pio XI, di s. m., si degnò di conferire la Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile, al sig. dott. Emilio Alvarez Lejarza, dell'archidiocesi di Managua.

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

L'Ordine Supremo del Cristo:

2 marzo 1940. A S. E. Don Marcantonio Colonna, Principe Assistente al Soglio.

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

16 gennaio 1940. A S. E. il sig. Michele Cruchaga Tocornal, già Ministro degli Esteri del Chile.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

23 gennaio 1940. Al sig. Marchese Luigi Rangoni-Machiavelli (Roma).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

5 dicembre 1939. Al sig. cav. Claudio Pallandre, dell'archidiocesi di Lione.
7 gennaio 1940. Al sig. Luigi Bonnet-Eymard, della diocesi di Grenoble.
29 » » Al sig. Emilio Romanet, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Pio Casali (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 luglio 1939. Al sig. Giuseppe Láng, della diocesi di Giavarino.
19 settembre » Al sig. Edoardo Salisbury, del Vicariato Apostolico di Limòn.
5 dicembre » Al sig. Eugenio Cannier, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Giovanni Caton, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Giovanni Faisant, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Onorato Rousson, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Antonio Sapin, della medesima archidiocesi.
7 gennaio 1940. Al sig. Giovanni Guglielmo Arturo Ollard, della diocesi di Northampton.
» » » Al sig. avv. Luigi Grimaud, della diocesi di Grenoble.

7 gennaio 1940. Al sig. Conte Paolo de Quinsonas, della medesima diocesi.
16 » » Al sig. Vittorio Homsy, dell'archidiocesi greco-melchita di Aleppo.
31 » » Al sig. J. Francesco McDermott, della diocesi di Omaha.
1 febbraio » Al sig. Alfonso Franciosi, dell'archidiocesi di Napoli.
2 » » Al sig. avv. Filippo Lodi, dell'archidiocesi di Ferrara.
6 » » Al sig. Cesare Adami, della diocesi di Novara.

La Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

9 gennaio 1940. Al sig. comm. Erminio Forni, dell'archidiocesi di Milano.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

10 gennaio 1940. Al sig. prof. dott. Aroldo Bodrito dell'archidiocesi di Genova.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

30 novembre 1939. Al sig. Antonio Signoriello, dell'archidiocesi di Cagliari.
7 gennaio 1940. Al sig. Giuseppe Ignazio Rivero y Alonso, dell'archidiocesi di S. Cristoforo dell'Avana.
17 » » Al sig. Edoardo Tartaglia, dell'archidiocesi di Napoli.
29 gennaio » Al sig. Dino Ciaprini (Roma).
30 » » Al sig. Vittorio Mandocchi, della diocesi di Penne.
31 » » Al sig. Achille Giuseppe Costantini, della diocesi di Sora.
15 febbraio » Al sig. cav. Giuseppe Albrecht (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

20 settembre 1939. Al sig. avv. Giovanni Giller, della diocesi di Rosnavia.
30 novembre » Al sig. Torello Giannoni, dell'archidiocesi di Cagliari.
13 gennaio 1940. Al sig. Mariano Barile, dell'archidiocesi di Benevento.
24 febbraio » Al sig. Pio Mario Quadrelli, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. Tarsicio Mentasti, della medesima archidiocesi.

NECROLOGIO

29 gennaio 1940. Monsig. Carlo Lamarche, Vescovo di Chicoutimi.
30 » » Monsig. Pietro Celestino Cézérac, Arcivescovo di Albi.
10 febbraio » Monsig. Paolino Ladeuze, Vescovo tit. di Tiberiade.
8 marzo » Monsig. Michele Kelly, Arcivescovo di Sydney.
18 » » Monsig. Gustavo Carlo de Majláth, Arcivescovo tit. di Soteropoli.

MISSALE ROMANUM

ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum; S. Pii V Pontificis Maximi iussu editum, aliorum Pontificum cura recognitum, a Pio X reformatum et Benedicti XV auctoritate vulgatum. *Quinta editio post typicam.* Volumen nigro tantum crassoque charactere impressum, cum rubricis cursivis, quas vocant, litterarum formis (cm. 17×26). MCMXXXIX.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
— Solutum	36 —	39 —	46 —
— (A) Volumen partim corio, partim linteo contectum, sectione foliorum rubra, cruce aurea aliisque ornamentis signum	53 —	56 —	63 —
— (B) Volumen partim corio, partim linteo contectum, sectione foliorum aurea, cruce aurea, aliisque ornamentis signatum	56 —	59 —	66 —
— (C) Volumen corio totum contectum, sectione foliorum aurea aliisque ornamentis aureis et cruce aurea perbelle signatum	90 —	95 —	102 —

CANON MISSAE In carattere nero e rubriche in corsivo; dalla pagina 257 alla pagina 276 del Missale Romanum in-8° (cm. 17×26) 1939 — 3 — 3,50 4 —

BREVIARIUM ROMANUM

(totum) ex Decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pontificis Maximi iussu editum, aliorumque Pontificum cura recognitum, *Pii Papae X auctoritate reformatum.* Quarta editio post typicam. – Editum charta indica; altum mm. 176, latum 111, crassum 30, gr. 750 pondo. - Paginae, qua typis impressae sunt, patent mm. 160 × 100. - Volumen in-12° pp. LXXX-1516-[198]-75*.

— In *brochure*	(G)	75 —	77 —	82 —
— (A) *Volumen corio nigro contectum, nervis consutum, sectione foliorum rubra, cum signis, titulo, stigmate ac theca*		100 —	102 —	107 —
— (B) *Idem, cum sectione foliorum aurea*		103 —	105 —	110 —
— (C) *Idem, corio caprino primae selectionis*		120 —	122 —	127 —

HORAE DIURNAE BREVIARII ROMANI

ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restituti, S. Pii V Pontificis Maximi iussu editi aliorumque Pontificum cura recogniti, *Pii Papae X auctoritate reformati.* Editio secunda post typicam. – Impressio rubra et nigra. Lineis rubris inquadratum, typis clarissimis, charta indica (mm. 13 1/2 × 8 1/2):

(A) Solutum	17 —	19 —	20 —
(B) Linteo contectum, sectione foliorum rubra, cum theca	23 —	25 —	26 —
(C) Idem, sectione foliorum aurea	24 —	26 —	27 —
(D) Volumen corio nigro contectum, dorso flexibili, sectione foliorum rubra cum theca	32,50	34,50	35,50
(E) Idem, sectione foliorum aurea	35 —	37 —	38 —

CODICIS IURIS CANONICI SCHEMATA

LIB. IV - **De processibus,** digessit FRANCISCUS ROBERTI, Auditor Sacrae Romanae Rotae. I. *De iudiciis in genere.*

Est systematica ordinatio omnium scientificorum operum quae confecta sunt ad Codicem iuris canonici apparandum. Recensentur vota Consultorum, discussiones Commissionis Pontificiae, animadversiones Episcoporum, consilia E.morum Patrum; omnia iuxta Codicem parallelis ordinibus digesta. Singuli canones ab incunabulis ad definitivam formam progredi oculis conspiciuntur. – Volumen in folio 27×38, pagg. 480 . . 70 — 73,50 84 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "**Acta Apostolicae Sedis**,,
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/. postale N. 1-16722*)

CODEX IURIS CANONICI

PII X PONTIFICIS MAXIMI iussu digestus **BENEDICTI PAPAE XV** auctoritate promulgatus, praefatione Emi Petri Card. Gasparri et indice analytico-alphabetico auctus.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
— (A) **Editio in-18°** (cm. 9 1/2×15), charta subtili non translucida; fol. LXXII-918	10 —	11 —	12 —
— (B) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	14 —	15,50	17 —
— (C) **Editio in-18°** (cm. 9×14), charta indica; fol. LXXII-918. – *Linteo contectum*	18 —	19,50	20,50
— (D) *Pelle vitulina contectum, angulis rotundatis, dorso flexibili*	22 —	23,50	24,50
— (E) **Editio in-12°** (cm. 12 1/2×19 1/2); fol. XLIV-854	15 —	16,50	20,50
— (F) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	21 —	22,50	26,50
— (P) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	25 —	26,50	30,50
— (G) **Editio in-12° cum Fontium annotatione** (cm. 12 1/2×19 1/2), charta subtili; fol XLVIII-932	24 —	25,50	30 —
— (H) *Linteo contectum, angulis rotundatis*	30 —	31,50	36 —
— (Q) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	34 —	35,50	40 —
— (L) Idem, charta indica (in fogli piegati)	30 —	31,50	35 —
— (M) Idem, charta indica, *linteo contectum*	36 —	37,50	41 —
— (N) Idem, charta indica, *pelle vitulina contectum, angulis rotundatis, dorso flexibili*	45 —	46,50	50 —
— (R) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	40 —	41,50	45 —
— (O) **Editio in-8° cum Fontium annotatione** (cm. 16 1/2×26), charta crassiore; fol. XLVII-784	30 —	33 —	40 —
— (S) *Volumen partim corio, partim linteo contectum*	45 —	48 —	55 —

CODICIS IURIS CANONICI FONTES, cura Emi Petri Card. Gasparri, in-8°.

Vol. I. **Concilia generalia – Romani Pontifices,** usque ad annum 1745 (n. 1-364), pp. XVI-954	65 —	68 —	75 —
Vol. II. **Romani Pontifices,** ab anno 1746 ad annum 1885 (n. 365-544), pp. XII-1012	70 —	73 —	80 —
Vol. III. **Romani Pontifices,** ab anno 1867 ad annum 1917 (n. 545-713), pp. XII-870	65 —	68 —	75 —
Vol. IV. **Curia Romana,** S. C. S. Off. – S. C. Ep. et Reg. (n. 714-2055), pp. XXXII-1117	85 —	88,50	97 —
Vol. V. **Curia Romana,** S. C. Consistorialis – S. C. de Sacramentis – S. C. Concilii (n. 2056-3704), pp. XL-1116	85 —	88,50	97 —
Vol. VI. **Curia Romana,** S. C. Concilii, an. 1761-1917 – S. C. super statu Regul. – S. C. de Religiosis (n. 3705-4427) pp. XX-1034	80 —	83,50	92 —
Vol. VII. **Curia Romana,** S. C. de Propaganda Fide – S. C. Indulg. – S. C. Indicis – S. R. C. – An. 1588-1790 (n. 4428-5822) pp. XXXVI-1060	80 —	83,50	92 —
Vol. VIII. **Curia Romana,** cura et studio Emi Iustiniani Cardinalis Serédi editi (n. 5823-6464). In-8°, pp. XX-620	65 —	68 —	72 —
Vol. IX. **Tabellae,** pp. XXVIII-311	40 —	42 —	45 —

Legati in pelle e tela nera (o rossa) con punte di pelle, testa rossa lucida, titolo, nervi al dorso, ciascun volume aumenta di L. 18.

SYLLOGE praecipuorum documentorum recentium Summorum Pontificum et S. Congr. de Propaganda Fide necnon aliarum Ss. Congregationum Romanarum ad usum missionariorum.

Typis Polyglottis Vaticanis 1939 – In-8° pagg. XII-789; legato in tela 45 — 45 — 53 —

Venunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
(Libreria Vaticana – Città del Vaticano — °/° postale N. 1-16722)